14

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-OBSTETRICALIS

DE

PARTU PRÆTERNATURALI PROPTER CLUNES AD *OS UTERI CONVERSAS.*

QUAM

DIVINIS SUB AUSPICIIS

EX AUCTORITATE

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

IN ALMA ARGENTORATENSIUM UNIVERSITATE

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES

ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

RITE CAPESSENDI

DIE XXVIII. SEPTEMBR. MDCCLXXIII.

SOLENNI ERUDITORUM DISQUISITIONI

SUBJICIET

PETRUS GEORGIUS WEYER

RIGA-LIVONUS.

H. L. Q. C.



ARGENTORATI

Typis JOH. HENRICI HEITZII Univerſitatis Typographi.



VIRO

PRÆNOBILISSIMO EXPERIENTISSIMO

DOMINO

ANTONIO TRUHART

MEDICINÆ DOCTORI

ATQUE

PRACTICO FELICISSIMO

SERENISSIMO DUCI SAXO-MEINUNGENSI

A CONSILIIS AULÆ

PHYSICO PRIMARIO APUD RIGENSES

PATRONO ATQUE FAUTORI SUO

OMNI PIETATIS ET OBSERVANTIÆ CULTU

ÆTERNUM COLENDO

DISSERTATIONEM HANC

IN OBSEQUII DEVOTISSIMI PIGNUS

GRATISSIMI ANIMI MONUMENTUM


ULTERIOREMQUE SUI COMMENDATIONEM

CONSECRAT

AUCTOR.



§. I.



De partu, qui clunibus prævius eſt, acturi, haud abs re fore exiſtimamus, ſi in ipſo tractationis limine, paucis, cuinam partus claſſi, naturalibus an præternaturalibus, ille de quo nobis nunc erit ſermo, accenſendus ſit, diſpiciamus. Non una omnibus hic ſtat ſententia. Veteres cum Magno HIPPOCRATE ſcientiæ ſalutaris Conditore eum præternaturalibus annumerare, nulli dubitarunt. Eidem adſtipulantur recentiorum obſtetricantium numeroſa turba. Pauciores ſunt, qui in diverſa eunt, inter quos tamen magni nominis Viri LA MOTTE, HEISTERUM, STORCHIUM, CRANTZIUM atque DELEURYE

nominasse sufficiat. Hi partum dictum ad naturales referunt, & quidem sequentibus potissimum ex caussis:

I. Quia non adeo raro obvius est.

II. Quia sæpe a sola natura feliciter ad finem perducitur.

§. II.

Ne vero tota hæc disceptatio in meram Logomachiam abeat, ante omnia accurate evolvenda ac determinanda erit, partus, qui κατὰ φύσιν, secundum naturam, fieri dicitur, idea. Naturalis partus HIPPOCRATI audit, quando caput fœtus prævium est; sin vero sequatur alia parte prodeunte, præter naturam id evenire vult. Plura sunt loca, quæ mentem hujus Viri declarant. *T. I. Opp.* περὶ φύσιος παιδίου §. 37. *pag.* 159. Edit. quæ Lugduni Batav. 1665. prodiit, hæc leguntur: χωρέει ἐπὶ κεφαλὴν εἰ κατὰ φύσιν ἴῃ, procedit capite, si secundum naturam prodierit. cf. *L. I.* περὶ γυναικείων §. 93. *p.* 481. & §. 94. *p.* 482. Ad hunc, ex mea quidem sententia, hæc tria inprimis requiri arbitror:

a) Ut fœtus tempore a natura definito in lucem edatur.

b) Ut situm convenientem habeat.

c) Ut absque vitæ periculo matris æque ac infantis a sola natura excludatur.

§. III.

Horum requisitorum ulteriorem explicationem mihi nunc subjungere animus est: tum enim, an ea partui nostro applicari possint nec ne, dijudicatu facile erit. Primum quod attinet, nemo artis nostræ peritus ibit inficias, naturam fœtui certum tempus destinasse, intra quod ad eam maturitatem perveniret, quæ ipsi, ut in hoc mundo, nova ab illa, qua in utero gaudebat, valde diversa vita frui posset, necessaria erat. Terminum hunc a natura præfixum noni mensis finem esse, omnibus & lippis notum & tonsoribus. Plerique enim infantum hoc termino nati sana ac vegeta corporis constitutione utuntur; cum e contrario fœtus *præmaturi a*) de-

---

a) Notes hic velim, fœtum, respectu habito ad tempus, quo prodit

biles ſint, ac per omne id tempus, quo adhuc in utero morari debuiſſent, continuo fere ſomno indulgeant. Quidquod, niſi ſumma cura adhibeatur, infirma eorum vita vix ac ne vix quidem conſervetur. Immaturorum vix unum atque alterum vitam ſervare, conſtat. Maximam fœtuum partem, qui clunibus præviis eduntur, immaturos vel præmaturos naſci, plurium annorum experientia Præceptori meo Clar. FRIDIO perſuaſit; ex tredecim enim hoc modo natis, novem immaturos obſervavit. Has Præceptoris obſervationes GIFFARDI, LA MOTTE, MAURICEAU atque SMELLIE obſervationibus corroborare confidebam, aſt me ſpes fefellit, rariſſime enim dicti Obſervatores de fœtus ætate mentionem fecerunt.

§. IV.

Ad alterum requiſitum, ut nimirum fœtus ſitum

---

ex utero, eſſe vel *præmaturum* vel *immaturum* vel *abortum*. *Præmaturus*, (*frühzeitig*) nobis eſt, qui a ſeptimo uſque ad dimidium noni menſis editur. *Immaturus* (*unzeitig*) vocatur, qui ſeptimum præcedit, nec tamen ultra dimidiam graviditatem aſcendit. *Abortus* (*falſche Empfängniß*, *fauſſe-couche*) a conceptione ad quartum menſem porrigitur. Veteres hanc diſtinctionem ignoraſſe, non opus eſt ut moneam.

convenientem habeat, hæc notamus: Omnes fere obſtetricantes conveniunt, fœtus naturalem ſitum hunc eſſe, quando caput ejus ponderoſum, eo quo decet modo, uteri orificio obverſum eſt. Illam ſpeciem partus, ubi caput prævium uteri orificio ſeſe ſiſtit, (de fœtu maturo loquor) ceteras ſimul ſumtas, longe ſuperare, experientia magiſtra didicimus; e contrario extra omne dubium poſitum eſt, naturalem atque conſuetum fœtuum immaturorum ac præmaturorum ſitum eſſe, cum nates uteri orificium ſpectant. Hunc ſitum enim tam diu ſervant, uſque dum debita atque plenaria peracta circumvolutione, caput uteri orificio inſiſtat. Si itaque fœtus maturus illum ſitum, quo nates uteri orificio incumbunt, tenet, cauſſam quandam adfuiſſe, quæ naturalem fœtus circumvolutionem impedivit, certum eſt; ſed hac de re infra dicendum.

§. V.

Pergimus nunc ad tertium partus naturalis requiſitum. Experientia docet, naturam, in illo partus genere, ubi caput prius ſitu conveniente prodit; plerum-

que ſolam ſufficere, ut fœtus abſque periculo in lucem edatur. Aſt quis obſtetricantium ignorat, quod ſi natura ſola interdum polleat, partum noſtrum aut aliam præternaturalium ſpeciem perficere, tamen fœtum in hac partus ſpecie, vix non ſemper periculo, vitam, ob funiculi umbilicalis compreſſionem, amittendi, antequam lucem aſpexerit, eſſe obnoxiam *b*).

§. VI.

Quodſi nunc quis conſideret:

1. Plurimos fœtus, qui clunibus præviis naſcuntur, vel immaturos vel præmaturos eſſe.

---

b) Fœtum, ad vitæ conſervationem, tamdiu libero ſanguinis circulo per funiculum indigere, uſque dum reſpirare poſſit, nemini non notum. Cum itaque in qualibet partus ſpecie, ubi fœtus alia, quam capite, parte prodit, funiculus, quamdiu fœtus ſupra clunes naſcitur, comprimitur, liber ſanguinis circulus impeditur, & reſpiratio nonniſi toto corpore protruſo incipit; e contrario, funiculus, in partu capite prævio, tum demum comprimitur, quando caput & pectus jam prodierunt; hoc modo vero funiculi preſſio fœtui amplius cauſſa mortis eſſe nequit, quia libere inſpirare poteſt. Conficitur itaque vel ex funis umbilicalis in abdomen inſertione, quod partus capite prævius tantum naturalis jure dici mereatur.

2. Situm clunibus præviis, non niſi immuturorum ac præmaturorum fœtuum, naturalem atque conſuetum eſſe; &

3 Fœtus illos, hoc in ſitu editos, maxime periculo vitam amittendi, antequam hujus terræ lux ipſis orta fuit, obnoxios eſſe.

Nobiſcum, niſi qui præjudiciis occæcatus fuerit, partum clunibus præviis nullo modo naturalibus, ſed ſummo jure præternaturalibus partubus annumerandum eſſe, lubenter fatebitur.

§. VII.

Obſervationes Clar. artis obſtetriciæ DD. de partu, ob clunes ad os uteri converſas, quas paſſim ſatis abunde deprehendimus, impulerunt me, ut paulo curatius inquirerem, quænam partus noſtri ad præternaturales eſſet ratio. Quodſi quis, me crambem bis coctam proponere, clamitet; quia Doct. SCHEFFELIUS in Diſſertatione *de Fœtu natibus in partu prodeunte*, jam hanc proportionem determinare tentavit; is a nobis reſponſum ferat: *duo cum faciunt idem, ſæpe non eſt idem.* SCHEFFELIUS, quod

præfiſcine dixerim, in hoc negotio parum accurate verſatus eſt, atque quadrata rotundis miſcuit. Sequentibus argumentis aſſertum noſtrum probatum damus.

Primum deſumtum eſt ab inſigni proportionum differentia, quæ neceſſario oriri debebat, ex eo, quod partum clunibus præviis, mox cum præternaturalibus in ſpecie, mox cum omnibus partus ſpeciebus in genere comparavit. Secundum, quia ex MAURICEAU & GIFFARDO allegatæ proportiones nimis generales ſunt. Obſervationum numerus a MAURICEAU publici juris factarum ad octingentas quinquaginta ſurgit, non ſeptingentas quinquaginta, ut vult SCHEFFELIUS: ex his vero nonniſi dimidia pars de partubus mentionem facit, & inter ducentas viginti quinque a GIFFARDO communicatas obſervationes, viginti novem proſtant, in quibus de partu ne gry quidem. Ut partus noſtri proportionem exacte determinare poſſem, ſumma cum attentione GIFFARDI, MAURICEAU, LA MOTTE & SMELLIE obſervationes perſcrutatus ſum, partuſque præternaturales primo in genere, deinde in ſpecie

partum

partum noſtrum diligenter computavi atque ſequentes reperi proportiones, quibus Vener. Præceptoris mei obſervationes huc facientes adjungam.

Giffardus inter 100. partus præternaturales 10.

Mauriceau inter 151. - 24.

La Motte inter 80. - 12.

Smellie inter 188. - 21.

Fried inter 90. - 13. partus clunibus præviis obſervarunt.

Ex his patet, partum noſtrum ad præternaturalium claſſem eſſe in ratione fere, ut $6\frac{3}{8}$: 1. minime vero, quod Scheffelio placet, ut $32\frac{2}{3}$: 1. Inquiramus porro, an Scheffelii proportio, "inter „50. vel 60. fœminas, nullo habito partus vel facili„tatis vel difficultatis reſpectu, unicam partum clu„nibus præviis eniti ſolere", accurata ſit. Poſitis millenis partubus, ſi ſecundum Doct. Pegelow *) inter 100. partus in genere, 3. partus præternaturales aſſumimus, obtinemus 30. partus præternaturales. Cum vero partus noſter ad præternaturales in ratione eſt ut $6\frac{3}{8}$: 1, ſequitur 5. partus clunibus præviis inter 30.

*) *Diſſ. de Fœtu brachio in partu prodeunte pag. 6.*

præternaturales occurrere. Eſt itaque partus noſter ad partus in genere, nullo habito reſpectu facilitatis vel difficultatis, in ratione ut 1000 : 5. vel ut 200 : 1. Evidens inde fit a SCHEFFELIO indicatam proportionem, ſive partum præternaturalem in ſpecie, ſive partum in genere ſpectes, a vero longe aberrare.

§. VIII.

Quatuor partus clunibus præviis ſpecies complectitur:

Prima oritur, ſi fœtus abdomen dorſo parturientis obverſum eſt.

Secunda, ſi fœtus abdomen parturientis abdomen reſpicit.

Tertia, ſi ejuſdem abdomen aut facies in latus quoddam parturientis converſum eſt. In his tribus ſpeciebus fœtus ambabus clunibus prodit.

In *quarta* ſpecie fœtus abdomini vel dorſo ſuo incumbens, unicam tantum offert clunem. Annotandum hic erit, fœtum ſitum mox rectum mox obliquum tenere, pedes ejus mox ſupra abdomen

extenſos, mox in clunes reflexos, haſque mox manu mox funiculo umbilicali comitatas eſſe.

§. IX.

Situ, quem fœtus in utero latens tenet, perſpecto de partus noſtri cauſſis, nunc ut dicamus, reliquum eſt. Cauſſam proximam in non peracta fœtus circumvolutione poſitam eſſe, vero quam ſimillimum fit ex iis, quæ modo tradidimus. Conveniunt nobiſcum Cel. ASTRUC & STEINIUS. Inter præcipuas vero cauſſas remotas numerari merentur:

a) Fœtus hydrops abdominis, quem caſum haud pridem Exper. FRIDIUS obſervavit.

b) Cavum uteri anguſtius, id quod peſſimo & exitiabili fibulatoriorum uſui, atque in genere nimiæ abdominis conſtrictioni, quocunque demum modo illa fiat, durante graviditate inprimis, attribuendum eſt. Qua de re legi merentur Diſſert. Cl. PLATNERI *c*), nec non Cl. FRIDII *d*).

---

c) *De Thoracibus.*

d) *De Fœtu inteſtinis plane nudis extra abdomen propendentibus nato.*

c) Gemelli.

d) Permagnus fœtus ac ſimul perpauco liquore amnii circumfuſus.

e) Præcoces funiculi umbilicalis circumvolutiones circa fœtus collum.

f) Uteri obliquitas, unde præcipue quarta partus noſtri ſpecies ortum ſuum ducit.

§. X.

Per omne id tempus, quo fœmina in utero gerit, imo ſub graviditatis finem, nulla certa ſigna dantur, ex quibus colligere licet, clunes uteri orificio ſeſe oblaturas. Corpus duriuſculum, mole haud parvum, ratione vero duritiei & peripheriæ capiti fœtus valde diſſimile, ſegmentum uteri inferius occupans, pro ſigno quidem præviarum clunium venditatur; aſt admodum incertum eſt atque fallax. Nec ſigna a Steinio *e*) allegata, majorem fidem merentur, cum & illa in aliis partubus præſto ſint, quod ipſum ex §. 344. laudati Auctoris manifeſtum eſt.

---

e) *Anleitung zur Geburts-Hülfe II. Th.* §. 331. *Caſſel* 1770.

§. XI.

Inſtante partu, ſi velamenta adhuc integra ſunt, a nonnullis artis obſtetriciæ Scriptoribus pro ſignis præviarum clunium hæc habentur: Quando

1) Orificii uterini apertura ex oblongo rotunda fit. vid. STEIN. *f*)

2) Velamenta aquis diſtenta, veſicam quidem rotundam repræſentant, quæ vero major ac latior eſſe ſolet, quam in partu capite prævio. vid. PLENK. *g*)

3) Per velamenta flaccida exploranti digito corpus quoddam magnum & rotundum ſeſe ſiſtit, ſed mollius capite eſt, atque fontanella ſuturæque deficiunt. vid. PLENK. *h*)

Sed & hæc ſigna, cum, quod jam circa ea, quæ in §pho præcedenti allata fuerunt, monuimus, in aliis quoque præter noſtrum partubus ſeſe offerant, haud melioris notæ ſunt. Nam

a) Orificii uteri apertura & ex oblongo rotunda

f) *Geburts-Hülfe II. Th.* §. 331. *num.* 4.

g) *Anfangsgründe der Geburts-Hülfe p.* 270. *num.* 1. *Wien* 1768.

h) *p.* 270. *num.* 2.

fit, si fœtus abdomine vel dorso prodit. v. STEIN. *i*)

b) Magnam ac latam quoque formam velamentorum vesica assumit, si fœtus abdomen, latus, pectus vel dorsum præbet. vid. PLENK. *k*)

Quidquod SMELLIE *l*) vesicam oblongam se observasse perhibet, licet nates præviæ essent.

c) Per velamenta flaccida & corpus quoddam magnum atque rotundum, sed capite mollius explorari potest, si humerus prævius est. Hinc SMELLIE *m*) humerum prævium suspicabatur, sed divinatio illum fefellit, nates enim exhibebat fœtus. Imo sæpius ante aquarum effluxum caput, quod nates erant, reputabatur. Hoc ipsum sibi evenisse ingenue fatetur LA MOTTE. *n*)

§. XII.

Clunes non nisi post aquarum effluxus cum cer-

---

i) *T. II.* §. 344. *num.* 7. & §. 354.

k) *p.* 278. *num.* 1. *p.* 282. *num.* 1. *p.* 284. *num.* 2. & *p.* 288. *n.* 2.

l) *Theoretische und practische Abhandlung von der Hebammen-Kunst T. III. obs. VI. p.* 83. *Altenburg* 1770.

m) *T. III. obs. VI. p.* 87.

n) *Traité complet des Accouchemens naturels, non naturels, & contre nature T. I. obs.* 97. *p.* 487. *Paris* 1765.

titudine quadam ſequentibus ex ſignis cognoſcuntur.

α) Corpus illud magnum, rotundum molleque (§. XI. num. 3.) ſiſtit nunc digito exploranti, duos quaſi monticulos, carnoſos, duriuſculos per crenam intermediam diſtinctos.

β) Clunium crena ſ. fiſſura, cujus medium inteſtini recti apertura occupat, unumque, extremum os coccygis, alterum genitalia terminant.

γ) Meconium craſſum, tenax, ex viridi nigricans, ex ano profluens, explorantiſque digitum conſpurcans.

δ) Crura natibus continua abdominique reflexa.

Ex his quatuor ſignis obſtetricans, ſi ſtatim poſt aquarum effluxum præſens fuerit, clunium præſentiam determinare valet; ſed alia rerum facies, ſi velamentis jam diu ruptis ad parturientem vocatur; nates enim a doloribus jam in pelvim impulſæ, ibique incuneatæ adeo intumeſcunt, ut illæ propter magnitudinem, rotunditatem atque duritiem admodum difficulter a capite diſtinguantur, & anus, qui a valde compreſſis clunibus clauſus eſt, nullum meconio effluxum concedit. Hoc itaque in caſu nates

non nisi ex genitalibus atque cruribus abdomini reflexis cognosci queunt. En signa primæ, secundæ & tertiæ speciei.

Quartæ speciei signa adhuc magisdubia sunt. In hac enim aquæ in parva rotunda vesica sese sistunt, uti in capitis partu, & per flaccida velamenta, corpus quoddam rotundum ac duriusculum, capiti vel humero parum dissimile, sentitur. Post aquarum effluxum corpus illud duriusculum, mollitudine sua carnosa a capite quidem facile distinguitur, sed propter maximam similitudinem, quæ inter plicam inguinis atque humeri intercedit, hæc pars facile pro humero habetur. Cum porro hoc in casu nullum meconium profluat, clunis prævia, si sola contrectatur, vix ac ne vix quidem dignoscitur. Quodsi vero integra manu partes quoque circumjacentes explorantur, tunc denique ex crena, qua nates dividuntur, ano genitalibusque membrum prævium, clunem esse, cum certitudine judicamus.

§. XIII.

Si partus noster soli naturæ relinquitur, similem eventum cum aliis præternaturalibus sortitur, mox

felicem

felicem mox infelicem. Fœtus, ſi immaturi vel præmaturi fuerint, omnibus partus noſtri ſpeciebus feliciter abſolvendis, ſolius naturæ vires fere ſemper ſufficiunt. In maturis interdum quoque æque proſper ejus exitus eſt. Aſt non niſi poſitis his conditionibus, ſi pelvis ampla, fœtus parvus beneque collocatus (uti in prima ſpecie) & validi ad partum dolores adfuerint. Maxime infauſtus autem eventus hujus partus fieri poteſt, ſi clunes nimis grandes vel anguſta pelvis, eam, quæ inter has partes obtinere debet, juſtam proportionem tollunt; aut uterus, & in eo fœtus obliquum ſitum tenet.

In tribus prioribus ſpeciebus, clunes, ſi dolores ad partum validi fuerint, in pelvim quidem impelluntur; ſed ob ſuum volumen in illo quaſi incuneantur, & niſi dolores ſine interruptione fortiſſimi fuerint, in pelvi defixæ hærent; dolores tunc ceſſant, fœtus propter inſignem & haud ceſſantem funiculi umbilicalis compreſſionem vita privatur; genitalia parturientis valide conquaſſata inflammantur, in gangrænam abeunt & parturiens tandem inter immanes convulſiones animam efflat. Con-

tinuis vero & validiſſimis doloribus ad partum, fœtus quidem expellitur, ſed vix non ſemper exanimis eſt, & parturiens perinæi diſruptione periclitatur. Parturiens haud minori periculo in quarta ſpecie objicitur. Hic partus enim propter ſitum uteri ac fœtus obliquum a natura abſolvi nequit, atque fœtus in globum mirum in modum compreſſus denique una cum matre miſere perit.

§. XIV.

Nunc ad Encheireſes, quæ in variis partus noſtri ſpeciebus adhibendæ ſunt, pedem promovemus. Hæ valde diverſæ ſunt, prout obſtetricans citius vel ſerius poſt aquarum effluxum manum operi admovet. In primo caſu partus ſoli naturæ, exiguo auxilio præſtito, relinqui, aut fœtus pedibus extrahi poteſt. In altero vero caſu clunibus in pelvi incuneatis obſtetricantes inter ſe non conveniunt, alii clunes in uterum retropellendas, alii uncis obtuſis, alii faſcia, alii forcipe extrahendas præcipiunt.

§. XV.

Si obſtetricans ſtatim poſt aquarum effluxum præſens eſt, nec (§. XIII.) allegatæ conditiones de-

ſunt, partum naturæ committere poteſt; attamen ut naturæ ſuccurrat, neceſſe erit, ut ſinum externum inungat, atque pedetentim dilatet, nates egreſſum molientes una manu arripiat, eaſque, dum altera manu perinæum leniter reprimit, motitando extrahat.

§. XVI.

Quod ſi autem fœtus ſitum, quem 2. 3. & 4. ſpeciei eſſe diximus, tenet, nulla habita ratione ad conditiones ſupra dictas, partus naturæ nequaquam relinquendus eſt, ſed pedes inveſtigandi extrahendique ſunt, & ſic partus noſter in agripparum partum commutandus eſt. Hunc in finem obſtetricans in prima & ſecunda ſpecie, unam manum in utero introductam, ab externa clunis parte a femore uſque ad pedem leniter promoveat, eundem ſupra malleolos apprehendat, & ad latus flexum educat; pari modo alterum primo jungat.

In tertia ſpecie manus a clune oſſi ſacro obverſa ad malleolos uſque promovenda, pes ſupra eoſdem arripiendus, in latus flectendus, atque ſic extrahendus eſt; tum femoris ſupremam partem captet,

fœtum paulifper ad uteri fundum repellat, illum ita vertat, ut abdomen ejus refpiciat deorfum, tandem & alterum pedem educat. Eadem methodo in quarta fpecie obftetricans manum a clune prævia ad pedem ufque dirigat, eum fupra malleolos prehendat, ad latus flexum educat, femur arripiat, fœtum ad latus dimoveat, ut eo facilius in oppofito latere pedem inveftigare atque extrahere valeat. Plurimi obftetricantes quidem in partu noftro confilium dant, nonnifi unicum pedem educendum, hunc una manu præhendendum fœtumque ea educendum, ufque dum clunes appareant, tunc digitum unci modo incurvatum in inguen immittendum, & ita ambabus manibus fœtum fupra nates extrahendum effe. Aft cum tractione unius pedis fœtus fitum obliquum ut plurimum nancifcatur, & altera natium offium pelvis cuidam impingatur, ulterior extractio fœtus eo difficilior, imo plane impoffibilis redditur, nifi quoque pes alter deducatur. Magis confultum effe duco, fi ambos pedes educat, iifque fœtum extrahat. Nec Encheirefes peculiares Plenkii *o*) atque

---

o) *p.* 276.

Deleurye *p*) ſilentio præterire poſſumus. Suadent uterque, ut in ſecunda ſpecie nates integra manu arripiantur, fœtus in latus volvatur & tunc demum pedes educantur. Eandem encheireſin in prima ſpecie quoque commendat Deleurye *q*). Verum enim vero in utraque ſpecie hacce encheireſi ſuperſedere poſſumus, in prima enim ſpecie, pedes dorſo parturientis obverſi, facili negotio arripi, extrahique poſſunt, & in ſecunda ſpecie, ſi pedes ſupra os pubis collocati attingi nequeunt, parturiens ſolummodo vel in latus collocetur vel genubus nitatur, tunc facillime aſſequi poterunt. Nec magis conſilium Burtoni *r*), ut nates repellantur, ac fœtus ita volvatur, ut mox dorſum mox abdomen orificio uteri obvertatur, ſequendum eſſe arbitror.

§. XVII.

Exponendum nobis adhuc erit, quomodo partus, ubi clunes, aquis jam diu effluxis, in pelvi

---

p) *Traité des Accouchements p.* 215. §. 669. *Paris* 1770.

q) *p.* 668.

q) *Syſtême nouveau & complet de l'art des accouchements, traduit par Mr. Le Moine, pag.* 309. & 312. *Paris* 1771.

quaſi incuneatæ hærent, dirigi debeat. Hic caſus ſolummodo in tribus prioribus ſpeciebus locum habet. Cauſſas & exitum, ſi partus naturæ committitur, §. XIII. deſcripſimus. Varias encheireſes, quæ hactenus in hoc caſu a variis obſtetricantibus commendatas vidimus, nunc examinare lubet.

§. XVIII.

Cum in hoc caſu plane fieri nequit, ut juxta clunes incuneatas manus in uterum ducatur & pedes extrahantur, alii ad nates unam manum applicandam & vi quadam in uterum retrudendas præcipiunt, ſed uterum quam maxime contractum, & reſiſtentem fœtum fortiter compreſſum, ac pelvi infixum, hanc clunium repulſionem plane impoſſibilem reddere, quis eſt qui non videt? His adde, quod nimia adhibita violentia, uteri vel vaginæ lethifera metuenda erit ruptura.

§. XIX.

Alii, cum laudatam natium repulſionem facilius deſcribi, quam perfici viderint, ſequentem encheireſin propoſuerunt, nimirum ut index utriuſque ma-

nus unci inſtar curvatus in inguinis plicam injiciatur, iiſque præſentibus ad partum doloribus, clunes educantur. Hæc methodus quanquam, nonniſi clunibus jam profunde in pelvim depulſis, locum habere poteſt. Cum vero nimis alte hærentibus & fortiter in pelvim compactis clunibus, digiti in inguem immitti nequeunt, eorum in locum uncinos obtuſos ſubſtituerunt. Hunc in finem SMELLIE *s*) præcipue uncinos ſuos obtuſos commendat. Cum vero nonniſi quadam vi adhibita in inguina injici poſſint, ne fœtus inde vulneretur, metuendum erit, id quod GIFFARDO *t*) accidit. Imo, ſi nimia vis ad extrahendas clunes valde incuneatas adhibetur, perfacile femora vel luxari vel rumpi poterunt. His ex cauſſis nec uncinorum uſum in hoc caſu ſuaderem.

§. XX.

Ab hac encheireſi parum differt illa, a magnis quoque Viris propoſita, qua nates ſcilicet faſcia per inguina ducta, educendas eſſe præcipiunt. Hanc methodum jam PEU *u*) laude ſua ornavit, qui peculiarem quoque pro faſcia applicanda uncum feneſtratum depi-

---

s) *Tab.* 37.

t) *Caſes in Midwifry p.* 489. *Caſ.* 213. *London* 1734.

u) *La pratique des Accouchements p.* 420. *fig.* 13. *Paris* 1694.

ctum dedit. GIFFARD *x*) ſe, tali in caſu faſcia per inguina tracta, optimo cum ſucceſſu uſum fuiſſe, jactat. Sed minime comprehendere poſſum, quomodo faſciam per inguina duxerit, cum ipſe confiteatur, nates tam fortiter in pelvim compactas fuiſſe, ut digitis uti non potuerit. Eandem opinionem fovet SMELLIE *y*); ſed fac faſciam applicari poſſe, de quo adhuc valde dubitamus, attamen ſemper auxilium periculi plenum erit, monente enim SMELLIE, ſi magna vis, pro extrahendis clunibus, adhibenda eſſet, faſcia non cutis ſolum detraheretur, ſed & partes carnoſæ uſque ad oſſa diſſecarentur.

§. XXI.

Plurimi tandem recentiores obſtetricantes, pro extrahendis clunibus incuneatis, forcipem laudant. Licet pro hoc ſcopo præprimis curva LEVRETI forceps commendetur, tamen de curva forcipe SMELLIE atque Cl. FRIDII æque felicem eventum polliceri poſſumus. His omnibus vero, liceat ingenue fateri Johnſonianam tanquam optimam longe præferrem.

Nota. Iniqua eſt Cl. STEINII de hac forcipe ſententia, experientia enim præceptorem meum ac me ipſum de ejus præſtantia in partu capite prævio dubitare non ſinit.

Felici

---

x) *Obſ.* 47. *p.* 101. *y*) *T. I. p.* 353. *Altenburg* 1755.

Felici cum ſucceſſu aliqua ex dictis forcipibus in prima & ſecunda partus noſtri ſpecie utimur. Secundum easdem regulas, quas in partu capite prævio obſervandas eſſe docent, adhibenda eſt, atque nates ſub iiſdem cautelis ſenſim ſenſimque attrahendæ, uſque dum inguina in ſinu pudoris appareant, tunc forceps ſeponitur, digiti incurvati inguinibus infiguntur & ſic in prima ſpecie fœtus protrahitur, uſque dum pedes ſponte ex vagina decidant; in ſecunda vero ſpecie fœtus ſolummodo ſupra clunes educitur, & tunc in abdomen revolvitur. Si autem in tertia ſpecie partus noſtri clunes jamjam in pelvi incuneatæ hærent, quomodo extrahendæ ſint, nunc videamus. Steinius (§. 762.) in hoc caſu peculiarem encheireſin commendat, nempe unum tantum ex cochlearibus forcipis Levretianæ, ſed valde dubito, clunes incuneatas hac methodo tam facile in majorem pelvis diametrum moveri poſſe Imo vereor, ne vi adhibita vagina, præcipue labium poſterius orificii uteri nimis comprimatur atque inflammetur. Veniam a Clar. Steinio me facile impetraturum confido, ſi tam diu de encheireſi ab eo laudata dubitavero, donec ipſi placuerit pluribus obſervationibus accurate inſtitutis nobis eandem probatam dare. Quodſi vel maxime hæc encheireſis locum invenire poſſet, ut ipſe ſibi perſuaſit in hoc caſu æque ac in illo, ubi humeri inter pubem & os ſacrum, capite jam nato, incuneati ſunt, equidem encheireſin ſequentem illi Steinianæ longe præferendam eſſe, nullus dubito. Obſtetri-



cans integra manu in vaginam demissa, amplectatur clunem ossi sacro infixam, eamque ita ad latus revolvat, ut fœtus abdomini incumbat, atque nates majori diametro aperturæ superioris pelvis respondeant. Cum Clar. FRIDIUS humeris incuneatis simplici æque ac tutissima hac methodo, me præsente, felicissimo cum successu usus est, atque adeo experientia suffragatur, eandem encheiresin in nostro casu, qui ab illo parum distat, æque prospere successuram omnino persuasum habeo. Si autem hac encheiresi clunes in situm justum redactæ fuerint, forcipem Johnsonianam applicandam, natesque lege artis extrahendas suaderem.

§. XXII.

Ex præcedentibus itaque patet, partum nostrum clunibus præviis sub certis conditionibus naturæ relinqui posse, his vero deficientibus pedes extrahendos, atque partum nostrum in Agripparum partum esse commutandum, quodsi vero hoc, ob clunes in pelvi jamjam infixas, fieri nequit; tunc durantibus ad partum doloribus clunes jam profunde in pelvim defixæ digitis uncinorum instar incurvatis inguinibusque injectis, educendæ erunt. Verum si clunes in pelvim incuneatæ hanc encheiresin quoque irritam reddiderint, ultimo loco obstetricanti ad forcipem confugiendum esse arbitror. Et licet PLENK z) eandem valde periculosum esse credat, tamen optimum tutissimumque hoc in casu remedium esse, docuit experientia.

---

z) *p.* 275.

T A N T U M.